PAULI BENII, EUGUBINI ... DE ECCLESIASTICIS BARONII CARDINALIS ANNALIBUS...

Paolo Beni



CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

Religionis ac morum propugnatori atque restitutori acerrimo,

PAVLVS BENIVS EVGVBINVS

Perpetuam fœlicitatem.



IOHANNES Vincentius Pinellus, quem ego plurimi semper feci, postulauerat à me vt sibi de Ecclesiasticis Baronij Cardinalis Annalibus aliquid perscriberem: ac sententiam meam Disputatione aliqua declararem. Vt enim summa cum approbatione illos legebat ac voluntate, optabat (opinor) vir clarissimus, atque omni virtutum laude ornatissimus, aliorum quoque iudicium & approbationem audire, atque illorum præsertim qui in hac Vrbis luce atque adeò Orbis Terræ Theatro, degerent. Natura enim comparatum est vt quod diligimus, id alijs quoque probari libentissimo animo audiamus. Ipse itaque obtemperandum mihi ratus, tantisper collegi animum à reliquis occupationibus & studijs: & aliquorum dierum scriptione meam illi opinionem ingenuè exposui ac declaraui. Cum ve-

rò ad nonnullorum manus noſtra perueniſſet diſputatio, iamque apud aliquos mendoſior cerneretur, omnino faciendum putaui, vt eam diligenter emendatam, publicis literis conſignarem. id quod eò etiam libentiùs faciebã, quòd intelligerem poſſe me hac ratione percommodè amicorum multorum qui illam à me requirerent, ſtudijs ac voluntati ſatisfacere. Quanquam (ne illud reticeam P. B., quod præcipuum eſt & caput) tua me in primis beneficentia permouit & incitauit. Cum enim ijs ipſis diebus aliquod mihi tuæ benignitatis atque clementiæ indicium in ſtudiorum inſtauratione extare voluiſſes, meq; item optimè ſperare iuſſiſſes, nihil antiquius habui, quàm vt noua hac, quantulacunque eſſet, lucubratione, aliquam tibi grati animi ſignificationem darem: ac venerationem erga te meam teſtatiorem redderem. Nunc itaque Auguſtiſſimi nominis tui authoritate atque ſplendore munita & cohoneſtata prodit in lucem mea DE ECCLESIASTICIS BARONII CARD. ANNALIBVS diſputatio. In quã equidem P. B. nihil gratiæ concedam vſquam, ſed veritati tribuã omnia: nihil fictè dicam & ſimulatè, ſed ex animo cuncta ingenueque perſcribam, denique, quantum in me erit, Baronianæ hiſtoriæ nihil ſiue affingam, ſiue detraham: ſed quicquid protulero, id (Deo benè iuuante, vt ſpero) rerum ipſarum momentis, ac rationum pondere demonſtrabo & confirmabo.

Cum enim iuuenis adhuc, illud mihi propoſuerim, diligenterq́ue curauerim in lucubrationibus meis, vt vnam veritatem ſequerer, eamq́ue ſyncerè & candidè patefacerem, cur obſecro matura iam ætate, ac ſenectuti quæ à ſepulchro non longè abeſt, proximus, veritati quicquam anteponendum putabo? Quid? in Philoſophicis ſcriptionibus elaboraui ſemper, vt Ariſtotelis Platonisq́ue decreta quæ explicabam mutuoq́; conferebam, ex Chriſtianæ veritatis præſcripto caſtigarem, ac noſtratibus Philoſophis viam atque rationem oſtenderem vnde Ariſtotelicæ Platonicæque Philoſophiæ ſiue ſcopulis declinatis, ſiue ſalebris ſuperatis, ſine vlla Religionis morumq́; iactura & offenſione, immò verò cum pietatis quæſtu & acceſſione, iſtorum libros euoluerent; & quiſquam erit, qui me exiſtimet in Baronij Annalibus, ideſt in Sacroſanctis Eccleſiæ antiquitatibus & monumentis, inſtituti mei oblitum, cuipiam eblandiri ac fucos facere voluiſſe? Quid plura? An fortaſſe hæc ad eum ſcribo qui doctrinarum cognitione vulgariter imbutus ſit, ac ſacras inprimis antiquitates leuiter deguſtarit? Immo verò ad eum ſcribo qui Italia tota, maximè verò Patauij, hoc eſt in celeberrimo optimarum artium domicilio & quaſi arce, excellenti doctrinæ laude floret ac celebratur: ad quem doctiſſimi viri perpetuò confluunt; cuius domum tanquam humanitatis, eruditionis, ſapientiæ, theatrum frequentant: qui denique quadraginta iam

ta iam fermè annos, libros vndique ac totius antiquitatis monumenta incredibili & studio & sumptu conquisita, diu noctuque peruolutare solet. Vt quemadmodum Pericles cum ad dicendum veniret, Deum enixè precabatur ne vllum sibi verbum excideret imprudenter; sic ego in præsentia omnino mihi cauendum putauerim ne temerè quicquam inconsiderateque proferrem; tantum abest vt veritatis studio prætermisso, auribus mihi seruiendum, aut gratiæ quicquam tribuendum, esse censuerim.

Sed iam ad ECCLESIASTICOS BARONII ANNALES sese conuertat oratio. In qua sanè, quoniam amplissimam illorum molem sub vno aspectu positam intueri licebit, ac partium structuram, varietatem, vsum, decus tandem ac speciem, veluti in tabula expressam aspicere, inprimis verò pulcherrima Ecclesiæ effigies diuinorum oraculorum luce, Apostolicarum traditionum splendore, & (vt cætera taceam quæ tibi iam iam ex ordine occurrent omnia) martyrum sanguine illustrata ac decorata in conspectum se dabit, te, te inquam, appello Pater Beatissime: te pro tua pietate obtestor, vt honestissimo huic spectaculo interesse, meæque disputationi sexquihoræ tempus transmittere, ne graueris: Vale Sanctissime Pater; atque vt laboranti Ecclesiæ diu multumque succurras, etiam atque etiam vale. Datum Romæ X. Kal. Nouembris. M. D. X C V I.

PAVLI

PAVLI BENII EVGVBINI DE ECCLESIASTICIS BARONII CARDINALIS ANNALIBVS DISPVTATIO,

Ad Virum Clarissimum, ac nobilitatis, doctrinæ, humanitatis, omni denique virtutis laude ornatissimum, Iohannem Vincentium Pinellum.



PArebo tandem, PINELLE ORNATISSIME, ac libentissimè parebo. Cum enim illud me postremis literis admoneas, non te quod rei grauitas ac magnitudo postulet, sed quod ipse aut possim, aut velim, requirere & flagitare, haud sanè habeo cur diutiùs eiusmodi onus refugiam: præsertim verò quia ad extremum, quæ est animi tui benignitas ac magnitudo, addis, ne si currenti quidem calamo breuem ad te epistolam in proposito argumẽto exarauero, non eam tibi acceptam ac periucundam esse futuram. Non igitur vbi tanta humanitate mecum agis ac lenitate, occupationes excusabo, quibus in Philosophia publicè priuatimque interpretanda distineor: non commentandi scribendique labores causabor, quibus Platonis Aristotelisque decreta non explicando solùm & comparando, verùm etiam ad diuinorum oraculorum Ecclesiæque normam castigando, ac publicis subinde lite-

literis consignando, diu noctuque impedior: non affectam ætatem infirmasq; vires afferam ac penè fractas, quas eiusmodi oneri longè impares esse optimè sentio: non denique oblati muneris grauitatem (id enim me deterrebat in primis) ingenijque mei tenuitatem ac tarditatem obtendam, per quæ mihi, ne volenti quidem ac diu multumq; laboranti, pro dignitate illi satisfacere licuisset. Cum enim vel vnius diei, ne dicam horæ, laborem atque operam non asperneris, excusationi sanè ac tergiuersationi locus superest nullus. Age igitur Pinelle candidissime, atque ECCLESIASTICOS BARONII CARDINALIS ANNALES quos tanta approbatione ac voluntate legere soles, tibi ante animum iam iam proponito: mihique (quoniam sic iubes) quid de illis sentiam candidè ingenueq; perscribenti, vacuas aures interim mentemque præbeto.

DE BARONII ANNALIBVS quinque partita proponitur disputatio.

Ergo BARONII ANNALES, siue materiam scriptioni subiectam perpendas ac reputes, siue personam æstimes à qua conscribuntur, siue locum vnde in lucem prodeunt, ac tempora in quæ incidunt, obserues & spectes, siue denique scriptionis ipsius rationem habeas, (rationem cum dico, qua veritate & perspicuitate, qua prudentia, qua pietate, qua eruditione, quo rerum omnium studio & cognitione, quo denique ordine ac stylo, scripti sint, requiro) ij sanè mihi videri solent, quibus nihil vtilius & optabilius in Reipublicæ Christianæ præsidium & ornamentum posset à Catholico viro elaborari. Vt mihi quidem non tam humano consilio atque industria conscripti, (quanquam hanc etiam libentissimè agnosco) quàm diuina nobis beneficentia & largitate concessi, videantur. Mirabitur hoc fortasse quispiam, qui vel non eos legerit: vel si legerit, non ea qua decuit cura & attentione, illos expenderit. Quapropter, vt de re tota planiùs constet, lubet eam vberiùs prosequi: idque hinc ducto initio.

PRIMA PARS In qua ex materia subiecta æstimantur: re tamē paulò altiùs repetita.

Qua ratione Christianæ præ

Fuit olim tempus, tametsi perbreue illud quidem & angustum,

gustum, cum in Dei Ecclesia Christianæ præceptiones atque doctrinæ non fucatis eloquentiæ ornamentis, aut spinosis Dialecticorum Physicorumue argumentis & contentionibus, sed simplici, ingenua, quæque à curiositate longiùs abesset, oratione traderentur. Declarant hoc candida Euangelicæ doctrinæ ac veritatis monumenta: declarant Petri, Iacobi, Stephani, Epistolæ & Conciones, ac reliquorum denique Apostolorum scriptiones. Inter quos Paulus, si quando concertationes instituere coactus est, non persuasibilibus humanæ sapientiæ argumentis egit, sed ex diuinis literis rationes duxit. Ac sapienter quidem & planè diuinè. Cum enim fidelibus, quippe Dei verbo renatis, nihil antiquius, nihil sanctius, nihil augustius, dicam planiùs, nihil ad benè beateque viuẽdum vtilius, contingere posset quàm diuinis verbis atque adeò præceptis inhærere, superuacaneum sanè fuisset, siue ad Platonis Aristotelisque spatia diuertere: siue ex Stoicorum aliorumue Philosophorum fontibus haurire. Denique nostra institutio ac doctrina de porticu Salomonis est, non de Gymnasijs Philosophorum: nec Philosophica curiositate aut humano sensu, sed Christiana simplicitate ac diuino spiritu, comparatur. Verùm enimvero, cum breui excessissent fœlicissima illa tempora, quibus erat credentium cor vnum, & anima vna, liquido hoc & puro sapientiæ genere, & à profanis concertationibus quamremotissimo, diu frui non licuit. quin etiam, cum sacrosancta Euangelij promulgatio, vnde personare cœperat vniuersus Terrarum Orbis, Philosophos plurimos perculisset, ac Græcos præsertim exulcerasset, factum est sanè vt isti ad Apostolicas doctrinas tanquam ad patrium incendium, restinguendas, Christianumque nomen, quasi humanæ societati exitiale, delendum, confluxerint, ac veluti signo dato, coierint omnes & conspirarint. Quid plura? In Euangelium exardescentes, pro suo quique studio & instituto omnes eloquentiæ vires ac neruos in Christianos in-

cepta traderentur statim ab nascẽtis Ecclesiæ temporibus.

tendunt: hos Philosophicis disputationibus aculeatisque sophismatis lacessunt: hos theatralibus conuicijs maledictisque diuexant: hos demum, quasi humana diuinaque omnia violarent, Terra Marique insectantur ac persequuntur. Hinc factum est, vt cum Christi Athletæ nefarijs hisce hostibus fortiter resistendum, ac, ne sacra profanis, cœlestia terrenis, diuina humanis conculcarent isti, quemadmodum sanguine ita disputationibus obtinendum putassent, ad profanas quoque doctrinas (quod & Paulus interdum fœlicissimis auspicijs aggressus erat inter Apostolos) diuerterint: nec diuerterint solùm, sed eas in Philosophos ipsos, vt proprijs illos armis expugnarent, mira dexteritate contorserint. Cum enim agendum inprimis esset cum idololatris, apud quos diuina oracula nullo in pretio essent, sed Philosophia vt diuina vel maximè æstimaretur: cumque in humanis quoque disciplinis non exiguas veritatis scintillas delitescere, atque adeò Christianæ veritatis semina & initia quædam latere animaduertissent, quid ni hæc arma protinus arriperent, vt scelestissimos aduersariorum conatus impedirent ac frangerent? Hinc igitur tum ad Christianæ Religionis innocentiam tuendam & sanctitatem, tum ad superstitiosam idololatriæ repellendam impuritatem, contulere sese Clemens Romanus, Ignatius, Quadratus, Aristides, qui omnes Apostolorum tempore floruerunt, Hegesippus deinde, Iustinus, Clemens Alexandrinus, alijque plurimi quos posteriora tempora exceperunt. Verùm (proh scelus) dum hos inuadunt nostri, & in fugam iam iam conuertunt, ecce tibi Cherinthi, Carpocrates, Marciones, Basilides, Valentini, Nouati, ac sexcenti alij Catholicæ fidei desertores ac transfugæ, clam cùm nostris hostibus conspirantes, pugnam aduersus fideles instaurarunt, atque adeò bellum acerbissimum commouerunt. Siquidem cum Diaboli machinas in nos torserunt omnes, tum maximè Philosophorum decreta profanasque doctrinas, quasi faces ac te-

Qua traderentur progressu temporis cū idololatræ Philosophi Euangeliū, hæretici Catholicam fidem, insectarentur.

Idololatris decursu temporis per fideles fugatis, hæreticos adhuc acriter restitisse.

la,

la, ad Catholicam veritatem prosternendam conuerterunt. Inter quos eò insaniæ prouecti sunt aliqui, vt vnis Aristotelis Categorijs (pudet me facinus commemorare: quod etiam aliquibus fortasse videbitur incredibile: sed quoniam à sanctissimis summæque authoritatis viris † scribitur, commemorabo tandem) vnis inquam Aristotelis Categorijs, vnde litigiosas concertationes componebāt, epistolasque perulgabant, nixi, filij diuinitatem eleuare, ac Spiritum sanctum inter creaturas referre, non dubitarent: libidini quoque vitijsque turpissimis nullam pœnam, continentiæ, pietati, cæterisque virtutibus nullum præmium, deberi affirmarent. Hæc inquam atque alia id genus plenissima turpitudinis decreta, quæ enumerare longum esset ac permolestum, in Aristotelis Philosophorumque officinis conflarant aduersus Catholicam veritatem. Hinc vir Sanctissimus, qui ob excellentem rerum diuinarum cognitionem Theologi nomen adeptus est, Gregorius, in huiusmodi fallacias intuens, Fuit quondam tempus (inquit †) cum res nostræ florerent, ac præclarè omnino se haberent: cum nimirum superflua hæc & fucata tractandæ Philosophiæ ratio, ad diuinas causas ne aditum quidem haberet, immo verò quod est calculis celeritate inuersionis aspectum fallentibus ludere, & varijs lasciuisque corporis flexibus spectatores ludificari, idem fermè erat noui aliquid & curiosi de Deo dicere vel audire. Contra verò simplex ingenuaque oratio atque doctrina, pietas existimabatur. At postquam Sexti & Pyrrhones & contradicendi libidine incitata lingua, velut grauis quidam & malignus morbus, in Ecclesias nostras infœliciter irrepserunt, ò quis Hieremias confusionem nostram caliginemque deplorabit, qui solus nouit calamitates lamentationibus exæquare? Sed Tertullianum (si placet) audiamus, † qui cum sanus adhuc viueretur, & ingenio & stylo, in Philosophicas Hermogenis similiumque hæreticorum doctrinas tanquam in funestissimam Religionis pestem &

† Vide Baron tom. 3. p. 698.

† Orat. in laudem Athan.

† Lib. de an. & cont. Hermogen.

 corru-

corruptelam, sic clamabat. Hæ sunt doctrinæ hominum »
& Dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio sa- »
pientiæ secularis: quam Dominus stultitiam vocans, stulta »
Mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit. Ea »
est enim materia sapientiæ secularis temeraria interpres di- »
uinæ naturæ & dispositionis: ipsæ denique hæreses à Phi- »
losophia subornantur. Inde AEones & formæ nescio quæ, »
& trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. »
Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: à Stoicis »
venerat: & vti anima interire dicatur, Epicurus obseruatur: »
& vt carnis resurrectio negetur, de vna omnium Philoso- »
phorum schola sumitur, & vbi materia cum Deo æquatur, »
Zenonis disciplina est: & vbi aliquid de igneo Deo allega- »
tur, Heraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreti- »
cos & Philosophos voluntantur: iidem retractatus implican- »
tur. Hæc Tertullianus: quæ subinde egregijs illis vocibus
claudit. Quid ergo Athenis cum Hierosolymis? Quid Aca- »
demiæ & Ecclesiæ? Quid hæreticis & Christianis? Nostra in- »
stitutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Do- »
minum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint, »
qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum, Christianissi- »
mum protulerunt. Iam verò Chrysostomus † in istorum
doctrinas hæreticorum, qui Philosophia in Ecclesiam gras-
sarentur, excandescens, eorum verba cum euripis, opinio-
nes cum sepulchris, confert: eosdem hæreses ex Philoso-
phia deriuasse, nec tam sapientiæ, quàm idololatriæ ac su-
perstitioni studuisse, affirmat. Atque ob id etiam, cum vi-
deret hæreticos Aristotelica doctos, in filij ac Spiritus san-
cti diuinitatem irrupisse, Perijt (inquit †) Veritas, ab im-
pijs prostrata: & Aristotelica doctrina grassata est. ac rursus »
Apostolum appellans, Indignare (inquit) pro fide: ac plenus »
indignationis, dic Hæreticis. Vnde nam Aristotelea do- »
cti estis? Sic Chrysostomus. Quid verò Lucifer Calarita-
nus † Episcopus atque Arianorum oppugnator acerrimus?
nonne

† Vide Homil. 7. in ep. ad Cor. homil. 65. in Io. & hom. 4. in epist. ad Rom.

† In illud In prin. erat verb.

† In l. cui tit. moriendum pro filio Dei.

nonne Constantio eiusdemque sectatoribus similem planè calliditatem exprobrauit? Nec profectò dissimili ardore in huiusmodi doctrinas hæreticorum, inuectus est † Iulius Primus: qui cum summus esset Ecclesiæ Antistes, pro illo quo debuit studio, Arianis ac cæteris eiusmodi veteratoribus, grauiter orationis fucos ac fallacias obiecit. Idem præstiterunt Sanctissimi viri † Irenæus, Hieronymus, † Augustinus atque alij multi qui proditores istos Aegyptiacas veluti plagas inter fideles irrepsisse, Dæmonem Magistrum habuisse, zizanias suis artibus in Ecclesiæ campum inuexisse, atque id genus multa obijciunt. Vt propterea iure cecinerit † Prudentius.

† Vide Baron. Tom. 3. † Ir. l. 1. aduer. hær. c. 24. & l. 2. c. 19. † Hie. in c. 4. ep. ad Ephes. et alibi. † Au. epist. 131. l. 8. de Ciu. c. 6. et alibi. † Hym. in inf.

Quid non libido mentis humanæ struat?
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Vt quisque lingua est nequior.
Soluunt ligantque quæstionum vincula
Per Syllogismos plectiles.
Veh captiosis Sycophantarum strophis
Veh versipelli astutiæ;
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta disertantibus.
Idcirco Mundi stulta delegit Deus,
Vt concidant sophistica.
Deque imbecillis subiugauit fortia,
Simplex vt esset credere.

Hi Patrum clamores in hæreticos Philosophos: hæ querelæ & indignationes. quibus sanè, etsi multum profecerũt;

non

non tamen aut restinxerunt pœnitus illorum rabiem: aut dolos omnes præstigiasque compresserunt. Siquidem Platonicis ac Stoicis vel labefactatis ac propè fractis, vel certè, quoniam vtiliter legi atque vsurpari poterant; non cum hæreticis peruersè ac subdolè, sed saniore iudicio expositis, atque ad bonam frugem reuocatis, (id enim non dicam à Philone & Eusebio, sed à Clemente Alexandrino & Iustino, inprimis verò à Theodoreto, Augustino, alijsque subinde multis, perfectum est) ad Aristotelis latebras confugerunt illi: vbi nouos dolos & machinas commoliti, nouis fallacijs atque artibus instructi, toti denique ad decipiendum compositi, Ecclesiam perditè oppugnarunt. Quid multa? Idololatris paulò post ab istorum societate exturbatis, ac nostro hoc terrarum orbe fugatis vndique & victis; ipsi vni Aristotelis armis præfidentes vel maximè, per multa nobis secula calamitosum bellum, non sine magno Catholicæ Reipublicæ malo ac fidelium luctu, intulerunt. Etsi enim Aristotelis quoque Philosophia haberet permulta quæ cum Christianis decretis consentirent; ac summatim fidelibus (si tamen rectè illa, ac debita cautione adhibita, vterentur) magno vsui esse posset; hæretici tamen per summam improbitatem & impietatem suis illam erroribus imposturisque tuendis, & incautis decipiendis, vsurpabant ac referebant totam. Cum enim eò processisset eorum temeritas, vt per speciem pietatis, Apostolorum, Christique ipsius & dicta & facta suæ patrocinium impietatis effecissent: quæque essent integerrimæ sanctissimæque vitæ norma, ac regium salutis iter ostenderent, illis ipsis pulcherrimam Christi sponsam contaminatissimis, sæpè etiam ferinis, moribus imbuere, atque adeò super carbones denigrare, niterentur; quid mirum si Aristotelis dogmata, ingeniosa illa quidem & scita, sed abstrusa tamen & ambigua, plerunque etiam lubrica & salebrosa, præposterè vsurparent, atque in deteriorem partem conuerterent? Hinc, etsi optassent Patres vt longè facesse-

facesserent isti cum suo Aristotele, præsertim verò quia diuina mysteria humanas rationes Naturamque ipsam pleraque superarent, ac summatim non humanis argumentis & persuasionibus, sed fide (hæc enim est, sperandarum rerum substantia) Deique virtute præparentur Christiana pectora, (propterea enim nos hortabatur Apostolus ad animos in obsequium fidei mancipandos) veruntamen, cum de sua procacitate nihil remitterent illi, ecce tibi, fauente Deo, Scholastici Theologi extiterunt tandem, qui & ipsi ad Peripatetica spatia diuertentes, Aristotelica tela hæreticorum furori subtraxerunt: atque à iugulis nostris depulsa, in eorum viscera conuerterunt. Cum enim iandiu augustissimus Ecclesiæ propugnator Augustinus eò veluti digitum intendisset, vnde arte ac via, hoc est subtiliter & Aristoteleo ferè more ac modo, Theologica decreta disserere liceret, atque hæreticorum conatus frangere; omnino decreuerunt Patres isti hanc quoque viam arripere, & cum procacissimis hostibus in ipsomet Peripateticorum campo, Aristotelicis armis, confligere & decertare. Inter quos B. Thomas, cui caue quenquam (nisi forte Augustinum) vel ingenij magnitudine vel sapientiæ laude anteponas; eò rem adduxit, vt hostes tandem Peripato derelicto, armis ipsis turpiter abiectis, vna sibi fuga consulendum putarint. Etsi enim ab initio à multis anceps consereretur pugna, aliqui etiam, quasi Aristotelica decreta à Christiana veritate plurimùm dissentirent, periculorum plenissimam esse arbitrarentur, ille tamen quæ de rebus diuinis ab Aristotele conscripta essent, contemplatiuæ Theologiæ, quæ de moribus, morali, accommodans; denique Aristotelea omnia siue ad Christiana Catholicaque dogmata confirmanda contrariaque refellenda, siue ad Theologicas præceptiones explicatè riteque tradendas, ac certo constantique ordine disponendas, admirabili ac propè diuina dexteritate referens, Aristotelicam Philosophiam tanquam acutissimum telum, sed à furiosis hostibus occupa-

Hæretici quoque a Scholasticis Theologis fugantur.

occupatum, ex hæreticorum manibus extorsit: neque extorsit solùm, verùm etiam eodem nos ad truculentos hostes confodiendos, Christianæque religionis arcem tuendam, magna cum piorum hominum gratulatione, spe etiam maiore, armauit.

Iidem hæretici bellum instaurant, atque illud acerbissimum.

Verùm, ò breuem spem, ò volucrem gratulationem: quàm citò ista omnia ex lætitia & voluptate ad mœrorem & lacrymas reciderunt? Dum enim huius doctrinæ ac viæ cultores sectatoresque siue nimij sunt in ea terenda & persequenda, siue non necessario tempore sed alieno illam terunt & persequuntur, siue curiosè admodum ac minutè, ne dicam ad nauseam, consectantur & rimantur omnia, ac sæpè etiam nodum in scyrpo quærunt, siue arreptam semel opinionem & sectam ardentioribus studijs mordicusque tuentur, proh dolor, tum sese, posthabitis hostibus, mutuò lacessunt, atque intestinis discordijs conficiunt: tum (quod longiùs deplorandum est) cætera Christianæ doctrinæ præsidia ac veluti arces à quibus ne latum quidem vnguem recedere oportuit, negligunt & desertas esse patiuntur. Sed quid dico negligunt? quid desertas esse patiuntur? immo verò hostium incursionibus furorique obuias relinquunt; qui statim etiam earum dominatu ac tyrannide potiuntur. Etenim dum Scholastici Theologi suis illi studijs & concertationibus delectati, multa etiam consectantur quæ sine periculo ignorari, sæpè etiam honesta cum laude prætermitti, possunt, nescio quo casu, sed duro illo tamen & peracerbo; deserunt Hebraicæ Græcæque linguæ studia: plerique etiam tum pauca ex diuinis degustant oraculis: tum Apostolicas traditiones ac sanctorum Patrum lucubrationes prætereuntes aspiciunt ac per transennam: denique, exceptis paucis, sacrosancta Conciliorum acta, Pontificum decreta, Ecclesiæque antiquitates & monumenta, ne primoribus quidem labris attingunt. Hæc itaque castra, hæc præsidia, hanc arcem, occupant illi, à quibus nos digressos

Rem eò tandem adductam esse vt ad hæreticos profligandos duo maximè optarentur in Ecclesia.

vident:

vident: hic noua conflant arma: hic robustas excitant machinas. Ita demum, cum Philosophicis telis, præcipuè verò Aristoteleis, spoliati, quin etiam profligati ac prostrati, viderentur, pugnam renouant omnium periculosissimam & acerbissimam. Hebraicè nanque & Græcè docti, vtriusque fœderis oracula pro libidine fœdant isti: Apostolorum traditiones ac ritus improbant quos veluti per manus traditos, religiosissimè semper coluerunt Maiores nostri: Pontificum decreta Ecclesiasticasque sanctiones labefactant: cætera denique omnia quæ fidelibus instituendis fortissimi Christi Athletæ & Proceres egregiè siue gesserunt siue scripserunt, peruertunt: simulque, vt in omnibus erant ad mentiendum decipiendumque parati, suis illa erroribus confirmandis, fidelibusque circumueniendis, conuertunt ac referunt. Qua sanè calamitate quæ grauior atque funestior contingere nobis potuerit, non satis video. Etenim lugendum quidem fuit scelestos istos Satanæ administros sanctissimas Christi aras ac templa igni ferroque vastasse: deplorandum fortissimorum martyrum reliquias profudisse: indolendum nouis in dies calumnijs atque imposturis Catholicos exagitasse, indeque simpliciores ad defectionem solicitasse: sed sacrosancta fidei nostræ volumina fœdari, Apostolorum traditiones Ecclesiæque sanctiones peruerti, denique antiquitates ac monumenta omnia proteri & conculcari, immo verò ad omnem libidinem impietatemque traduci, perpetuis lacrymis ingemiscendum fuit ac deplorandum.

In has itaque calamitates non sine intimo doloris sensu cum pij omnes intuebantur, tum is maximè cui diuinitùs interim Petri authoritas atque Ecclesiæ gubernacula committerentur. Et sanè duo inprimis erant necessaria ad huiusmodi hæreticorum rabiem furoremque comprimendum: atque ad impurissima illis ora obstruenda. Vnum vt vera Germanaque diuinarum literarum oracula, hæreticorum interpretationibus imposturisque reiectis, illibata

C prorsus

prorſus inuiolataque ſeruarentur: vel certè ad priſtinum candorem, quoad eius fieri poſſet, integritatemque reſtituerentur: idque ea ratione ac lege, vt cum ſuus Hebraicis Græciſque codicibus honos exiſteret, tum Latini, quibus (quantum aſſequi coniectura valeo) magna ex parte ſtatim ferè ab ipſis Apoſtolorum temporibus vti cœpit Eccleſia, auguſtiſsimi ac ſacroſancti toto terrarum orbe haberentur. Alterum vt hiſtoria ab Eccleſiæ incunabulis, hoc eſt ab ipſo Liberatoris noſtri aduentu, ad hæc vſque tempora, conderetur, qua tum Chriſti & Apoſtolorum, tum Petri reliquorumque ſummorum Pontificum, Traditiones, Concilia, Canones, immo verò, quantum iniuria temporum pateretur, Martyrum, ſanctiſsimorumque Eccleſiæ Antiſtitum ac Procerum, facta dictaque omnia perpetuæ memoriæ traderentur: atque in conſpectu fidelium, certo annorum ordine, perſpicuoque ſtylo, ſed inprimis Chriſtiana fidelitate & integritate, digeſta, tanquam in publico hominum theatro collocarentur. Ita enim facile deinde erat quos teterrimi ardeliones feciſſent nobis fucos, quicquid ſimplicioribus impoſuiſſent, quæ denique incommoda Eccleſiæ importaſſent, detegere & propulſare. Ac primum quidem, Deo bene iuuante, ſumma cum Reipublicæ Chriſtianæ vtilitate curatum elaboratumque eſt. Etenim ſacroſanctis antiqui fœderis codicibus Græcè priùs quàm fieri emendatiſsimè potuit, editis, (id enim quiſque ſentiet qui Vetus Teſtamentum Sixti V. authoritate ad antiquiſſima optimaque exemplaria caſtigatum, maximè verò ex Vaticano expreſſum atque editum, cum reliquis editionibus contulerit: ſi tamen cum cæteræ editiones iam mendis ſcaterent innumeris, hæc ad priſcum nitorem ac decus proximè accedat, dignæ ſunt qua cum Vaticana vllo modo conferantur) fœliciſsimis hiſce auſpicijs & cœptis, ad latinos protinus ventum eſt, qui ſanè poſt ingentes labores à viris ſacrarum doctrinarum laude ornatiſsimis exantlatos,

Primum Clemente VIII. ad Summum Sacerdotium euecto, ſtatim perfectum eſſe.

tandem

tandem sub CLEMENTE VIII. PONT. MAX. vsque adeò repurgati prodiere, vt vel ad pristinum decus omninò accedant, vel certè omnium qui prodierunt in lucem, emendatissimi sint. Ita demum quemadmodum dubitare nullo modo licet quæ sit vera ac Germana, siue Græca septuaginta interpretum, siue Latina, quæ Vulgata ac vetus dici solet, editio; ita quicquid demum hæretici veteratores siue Græcis siue Latinis codicibus deprauatis, machinati sunt aduersus Catholicam veritatem, detegatur & concidat necesse est. Hoc inquam primum est, quod ad hæreticorum conatus rabiemque compescendam, diu multumque a fidelibus optatum, a Tridentinis verò patribus non optatum modò, sed vt quamdiligentissimè præstaretur, decretum, hoc ipso tempore perfectum est, quo CLEMENS VIII. singulari Dei beneficio atque clementia, ingenti etiam bonorum omnium gratulatione, Ecclesiæque splendore, ad Petri sedem euectus, Christi gregem custodit ac moderatur. Qui sanè si aliquando à perpetuis occupationibus respirauerit & curis, quibus inter Ecclesiæ iactationes ac Principum bella, sed inprimis inter perfidissimos Turcharum conatus, intimis sensibus pro sua pietate afflictatur & premitur, haud fore dubito, quin viris linguarum ac doctrinarum cognitione florentibus accersitis vndique, enixè in eam curam incumbat, vt tum sacrosancti Hebraici fœderis libri summo studio excussi & examinati, quàm maximè per iniurias temporum liceat, castigatissimi edantur: tum, si quis forte aut in Græcis aut in Latinis libris supersit locus, qui nouis studijs adhibitis, illustrari atque ad pristinum decus magis ac magis reuocari possit, id verò accuratissimè elaboretur. Hæc de primo, quod ad hæreticos profligandos desiderabatur in Ecclesia.

Venio ad alterum: quod sanè summa Dei benignitate ijsdem hisce temporibus à BARONIO, quem non ita pridem à CLEMENTE VIII. in sacrum Cardina- *Alterum à Baronio nunc strenuè vrgeri & absolui.*

lium Senatum incredibili VRBIS atque adeò Christiani terrarum ORBIS, lætitia cooptatum cernimus; inchoatum, & iam iam penè absolutum, perfectumque videmus. Etsi enim Author, dum eiusmodi studia aggrederetur, vix ac ne vix quidem cogitaret. de arduo ac nobili opere exantlando, vnde Christi Apostolorumque Traditiones, summorumque Pontificum & Conciliorum decreta ac præceptiones, ab hæreticorum furore vindicarentur: non eò cogitationem intenderet, vt sanctorum Patrum monumenta, ac res ab Ecclesiæ Athletis & Proceribus strenuè sapienterque gestas, veluti in theatrum referret: non denique pulcherrimam Catholicæ Ecclesiæ faciem, quæ inquam fucatis coloribus adulterinisque ornamentis reiectis, natiuum atque domesticum nitorem propriamque dignitatem ac decus referret, sibi exprimendam proponeret, (quis enim mortalium tantum sibi arrogasset vnquam?) diuino tamen fauente spiritu eò tandem res adducta est, vt tale tantumque opus, hoc est augustum & sanctum, iam propè absolutum, atque in clarissima luce omniumque conspectu collocatum, intueamur. Vt cum admirabile hoc opus statim atque CLEMENS in PETRI sede est collocatus, mirificè crescere, atque ad fastigia sese attolere cœperit, satis appareat BARONIVM à Deo electum fuisse, per quem idem Ecclesiæ Princeps ac Pastor CLEMENS nouam hanc arcem firmissimumque propugnaculum aduersus Catholicæ fidei hostes erigeret. Cum enim videamus latinam diuinorum oraculorum editionem, etsi iandiu inchoatam, ac Pontificibus summis vrgentibus, nauiter egregieque prouectam, nisi sub CLEMENTE VIII. omni ex parte absolutam non prodijsse: Ecclesiasticam verò Baronij historiam, quamuis & ipsa strenuè vrgeretur antea, non sine eodem CLEMENTE incrementa suscepisse, ac veluti ad maturitatem aspirasse, quis non facilè in eam sententiam adducatur, vt vtrunque hoc opus

opus CLEMENTI diuinitùs reseruatum fuisse credat? Ego sanè dum egregium CLEMENTIS studium singularemque charitatem intueor erga Dominicum gregem, & quos pro illo sustineat labores, quas agat vigilias, quot profundat lacrymas, quos ex illius afflictatione hauriat dolores, audio, facilè mihi persuadeo, hæc illi solatia ex optatissimis hisce lucubrationibus à Patre luminum suppeditari: vt qui seminat non sine fletu, manipulos referat cum exultatione.

Sed ad Baronij historiam redeo: de qua illud mihi audire videor differentem aliquem, atque his propè verbis dubitantem. Si iurè ac meritò dicitur Baronij Historiam isthæc præstare omnia; æquum sanè est vt illam Ecclesiæ Arcem ac propugnaculum reputemus: quin etiam Panoplia, Antemurale, Turris etiam vnde mille pendent clypei, appellanda, summisque præconijs & laudibus, toto Christiano orbe, omnium ore ac prædicatione, celebranda erit. At enim, quid si quis id demonstrari, ac distinctè etiam perspicueque demonstrari cupiat; nec antea admirabili huic rei fidem sibi adiungendam esse putet, quàm ex historia ipsa de re tanta penitus doceatur? Ergo id planè superest vt demonstrem & patefaciam: quod libenti etiam alacrique animo iam iam aggrediar. Spero enim fore vt non solùm luculenter id intelligant æqui rerum æstimatores, aut etiam, velint nolint; fateantur inuidi, (tametsi iam inuidiam fortasse omnem Baronij vincit historia) verùm etiam docti omnes animaduertant, hinc Christianum Theologum multis magnisque doctrinæ præsidijs atque ornamentis instrui, quibus passim carebat antea: immo verò ex mira quadam inopia & egestate ad amplissimas copias, ex angustijs & dumetis ad summam amplitudinem vbertatemque, traduci.

Sed rem, si placet, aggrediamur. Ac primùm quidem isthæc à Baronio fœliciter omnino fuisse explicata, inde vni-

Demonstratur id totum: ac priùs in vniuersùm.

vniuersim ostendi posset, quòd cum apertissimis quæque ab aduersarijs nullo modo eleuari aut declinari possint, argumentis demonstrauerit, Romanum Pontificem totius Militantis Ecclesiæ Moderatorem & Principem esse, ac Petro suffectum, Christi vicem in Terris gerere; eodem quoque tempore sine vlla dubitatione demonstrauit quicquid siue de verbo Dei, siue de vera Ecclesia, siue de Apostolorum Traditionibus deque Conciliorum & Canonum authoritate, docuerit ac sanxerit Romanus Pontifex, id sartumtectum acratum habendum esse. Quis enim, nisi per summam aut dementiam aut perfidiam, non statim ijs acquiescat, ac toto animo assentiat, quæ didicerit ab eo declarata esse & definita qui vicarias Christi partes in terris gerat? quis non eum in fidei mysterijs Catholicaque veritate perdiscenda Doctorem sibi ac Magistrum diuinitùs tributum esse sentiat, quem animaduerterit à Christo Cœli viæ fidelibus aperiendæ ac demonstrandæ (quid enim est aliud Claues Cœlorum à Christo accepisse?) Ecclesiæ summa cum authoritate ac potestate præfectum esse? Nam si quis nondum satis animaduerterit quàm certis perspicuisque argumentis docuerit Baronius Romanum Pontificem Petro suffectum esse, ita vt ei diuinitùs authoritate collata, in fidei controuersijs dirimendis, & Catholica veritate statuenda, Christi vicem gerat in terris, hic sanè Baronium ne extremis quidem digitis attigerit necesse est. Verissimè enim dici potest, hoc, vt est Christianæ veritatis fundamentum maximum, atque adeò Catholicæ fidei firmamentum, vsque adeò accuratè, perspicuè, exaggeratè, copiosè, fuisse à Baronio expositum, vt nihil supra. Quapropter qui id nondum assecuti sunt, legant obsecro quæ in primo volumine disserit Author tum de Petri authoritate ac Principatu; tum de Pontificum successione: expendant quæ in secundo fusè nec vno in loco, scribit de Romano Pontifice: animaduertant quibus subinde hæc ipsa doceat atque confirmet

firmet

firmet in reliquis voluminibus, atque intelligent decretum hoc maximum meridiana luce clarius apud eum enitere. Ego certè, etsi non inficior alios quosdam in hac re declaranda vtiliter & magna cum laude versatos esse; atque aduersarios doctè subtiliterque reiecisse; veruntamen, qui cum Baronio hac in re conferri possit, non inuenio: vsque adeò, illum dum perlego, audire mihi videor hoc diuinas literas apud illum disertissimè docere: hoc rerum gestarum ac totius Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta testari: hoc martyrum sanguinem, ossa, cineres, sepulcra denique ac lapides, clamare, edicere, prædicare. Sed mitto ista. etsi enim ea sunt quæ luculenter efficiunt quod volumus, lubet tamen rem totam distinctè prosequi, ac sigillatim ea omnia ostendere & demonstrare, quæ de Apostolorum Traditionibus, Ecclesiæque sanctionibus, atque huiusmodi alijs, iam sæpè diximus.

Iam idem demonstratur sigillatim: idque re ad quinque capita reuocata.

Age dum igitur, atque ab Apostolorum Traditionibus ordiamur. Porrò Baronius, cum semel ex magno illo acerrimoque Catholicæ fidei propugnatore, ac propagatore planè regio, ex Basilio inquam, nos de Traditionum vsu admonuisset, docuissetque Apostolos & Patres mysteriorum authoritatem & sanctitatem sacro etiam silentio custodiendam ratos, arcanam quoque doctrinam in Ecclesia esse voluisse; ecce tibi non multò post nobilem de Traditionibus disputationem instituit. Vbi sanè cum illas & diuinarum literarum authoritate, & Patrum testificationibus vel ab ipso nascentis Ecclesiæ initio repetitis, egregiè confirmasset, hoc iuris genus tum apud optimè institutas Resp., tum verò apud Hebræos, hoc est in Dei populo, viguisse docuit. Quid plura? quicquid de antiquitate illarum & varietate, quicquid de præstantia & authoritate, dici poterat, quicquid ad eas cum scripto iure diuinisque libris conferendas, quicquid ad legitimas ab adulterinis discernendas, pertinebat, id totum doctissimè & copiosissimè ex-

Primũ in quo ostẽditur quàm egregiè Baronius defenderit & illustrarit Apostolorum traditiones ac ritus Ecclesiasticos.

planauit. Quanquam neque his finibus, etsi peramplis, Traditionum cohibuit tractationem. cum enim isthæc omnia de illis docuisset in vniuersum, mirum est quàm excellenter in sequentibus libris eadem confirmarit: quàm scitè ac strenuè aduersariorum dementiam temeritatemque fregerit: quàm appositè demum & opportunè Traditiones singulas vel ab earum origine repetitas explicarit. Ita factum est vt cum ab initio docere cœpisset, Ecclesiæ ritus ex Traditionibus fermè omnes duxisse ortum, enucleatè deinde in reliquis voluminibus pro re nata ritus quoque ipsos accuratissimè explanarit, constituerit, illustrarit. Sed quoniam breuitati dum ipse studeo, atque ad alia festinat oratio, obscurare multa, multa etiam præteruolare atque adeò prætermittere cogor, illud enixè oro ac peto, vt qui rem hanc non summatim & cursim, sed distinctè (vt par est) & explicatè cognoscere velit, Baronium ipsum perlegat: sentiet enim decretum hoc nobilissimum tanta siue diuinorum oraculorum acrimonia, siue sacrorum Conciliorum Patrumque consensione, tam admirabili rerum in Ecclesia gestarum copia & vbertate, tali denique rationum vi, & pondere exemplorum, explicari, vt nihil amplius aut iurati Traditionum hostes cauillari possint, aut curiosissimi illarum inuestigatores expetere.

Secundum in quo declaratur quàm vtiliter multa scripserit de Concilijs.

Iam verò vbi de Concilijs eorumque sanctionibus agit, quid quæso non accuratum, syncerum, exquisitum tradit? quid non ad fideles optimè instituendos, hæreticosque profligandos, & (vt dicam paucis) non ex Ecclesiæ vtilitate ac dignitate scribit? Dies me deficiat, si ea vel perstringere vel enumerare velim, quæ mihi quidem in Baronij Annales intuenti, in hanc sententiam occurrunt. Etenim dum vniuersè de illis agit, sic sanè eorundem originem, antiquitatem, vsum, authoritatem, discrimen quoque varietatemque persequitur: sic docet quæ illis affinitas cum Traditionibus intercedat atque coniunctio: cuius arbitratu & authoritate

thoritate sint indicenda: quibus præcipuè de causis cogenda: cuius sit illis præsidere: qua œconomia & ratione sint disponenda ac peragenda: qui conuocandi: quò maximè in illis spectandùm & intendendum, & si quid huiusmodi; nihil vt explicatius aut perfectius experi possit. Dum verò distinctè Concilia singula suis quæque recenset locis, & quo tempore, quas ob causas, cuius nutu & authoritate indicta & conuocata, vbi & per quos celebrata, quid in illis explicatum, quid confirmatum, quid definitum, quidue damnatum abrogatumue fuerit, hæc verò omnia tam accuratè è tenebris eruit, ac veluti ante oculos ponit, vt tantùm non illis te interesse arbitreris. Sed illud longè eximium & singulare, quod ad ingentem attinet Conciliorum numerum & quasi syluam, quam ex abditissimis & obscurissimis Ecclesiæ monumentis in lucem reuocauit. tantam enim Conciliorum multitudinem vel vnius eiusdemque seculi decursu attulit in medium, quantam alij ne toto hoc temporis interuallo quod à Christi aduentu ad nos vsque fluxit, enumerare solent. Immo verò, cum eleganter omnino ac scitè ostendisset primum Concilium à Christo & Apostolis fuisse adumbratum, vel potiùs, vt diuinitùs sacer nobis Conciliorum typus extaret, primis etiam coloribus expressum; alterum ab Apostolis ipsis Hierosolymis habitum: tertium (id quod subtili admodum & accurata conquisitione deprehendit & comprobat) ab ijsdem Apostolis Antiochiæ celebratum, inter hoc sanè & Nycænum, quod tamen passim à viris etiam doctis primum enumeratur ac censetur, Cōcilia non pauca, eaque sanctissima & maximis de rebus habita, constituit & interiecit, quæ alios omnino fugisse visa sunt. Quin etiam inter Nycænum hoc primum & Constantinopolitanum quod secundo loco ponitur à cæteris, alia quoque multa (legitima semper intelligo) aliorum pace meritissimò disposuit & collocauit. Vt propterea quod olim AEgyptius sacerdos Soloni ac Græcis obiecisse fertur, dum

illos ea de causa pueros appellaret quòd domesticas antiquitatum memorias ignorarent, id mihi hoc tempore in eos conuerti posse videatur, qui hactenus nisi communi quadam ac trita Conciliorum notitia non sunt imbuti. Ipse certè, cùm aliquando fore sperarem, vt si ea quæ quotidie terimus Conciliorum volumina, accuratè peruolutarem, non vulgarem mihi Conciliorum cognitionem acquirerem atque pararem, Baronio tandem perlecto, animaduerti me ne tum quidem sine Baronij adiumentis in pulcherrimo Conciliorum campo nisi hospitem & peregrinum versari posse.

Tertium in quo ostēditur quāta cum Ecclesiæ dignitate & vtilitate Canonum historiam sit prosecutus.

Iam verò quid attinet dicere qua industria & cura sacros Ecclesiæ Canones conquisierit, ac tanquam tabulas benè pictas in bono lumine collocarit? qui enim Conciliorum quamdiligentissimus, ne dicam curiosissimus, indagator fuit & conquisitor, atque illorum acta è densissimis tenebris eruta, in apertum produxit, ac tanquam ad aspiciendam lucem reuocauit, is profectò eâdem cura & studio Canones ex obliuionis caligine vindicarit necesse est. Quare tantùm dicam Ecclesiæ decreta & canones, siue illam quasi ab incunabulis nascentemque spectes, siue crescentem protinus atque inter furentes tyrannorum impetus adolescentem, siue etiam adultam iam & progredientem ætate, vltro sese nobis atque ex ordine in Annalibus Baronianis obijcere; atque ita etiam obijcere, vt vno eodemque tempore agnoscere liceat, cuius sit eos vel condere aut confirmare: cuius item rescindere & antiquare: qui germani, ex ijs præsertim qui extant Apostolorum nomine; spurijue habendi sint; qua reuerentia & pietate colendi: quantum denique & Cæsareo iuri atque adeò non sacris legibus præstent, & harum aut hores, etsi regia fulgeant purpura, vinciant & obstringant: tantum abest vt Canonum authoritatem, nisi iniquis conatibus, oppugnarint atque eleuarint hæretici. Quod si quemadmodum Canonum historiam perduxit

xit vſque ad prima Gregorij Magni tempora (nam Pelagij II. obitu clauditur Septimum Annalium volumen, quod nunc demum prodit in lucem) ſic reliquam deinceps (vt ſperatur) fuerit perſecutus, haud fore dubito quin multa ex abditiſsimis monumentis proferat, quæ vel primarios Pontificij iuris Conſiliarios mirificè delectare, interdum etiam non mediocriter iuuare, poſsint. Quod quàm verè à me dicatur, licebit tibi, ex Anaſtaſij Germonij, Sereniſſimi Vrbini Ducis apud Summum Pontificem Oratoris, atque vtriuſque Signaturæ Referendarij clariſsimi, iudicio ac teſtificatione perdiſcere. Cum enim optimè ſcirem eum ſacros Canones Auguſtæ Taurinorum multos annos ſumma cum laude docuiſſe, ac doctiſsimis elegantiſsimiſque commentarijs illuſtraſſe, &(vt dicam breui) mira cum omnium approbatione ſcripſiſſe multa, cum prætereà audirem illum in præſens Clementis VIII. iuſſu, Tridentini Concilij Canones Septimo Decretalium (ſic enim interim nouum Canonum volumen appellant aliqui) intexere, & illius gloſſemata luculentis notationibus interdum etiam ſubtiliſsimis quæſtionibus, explicare & illuſtrare, nihil potius habui quàm vt de Baronij Annalibus eius ſententiam explorarem. Quid multa? Varia (vt fit) ex eo ſciſcitor de Pontificij iuris ſacrorumque Canonum ſtudio: tum verò, quaſi aliud agerem, quid de Baronio ſentiat, quæro, præſertim vbi priſcorum Canonum attingit hiſtoriam. Tum ille, Ego verò Baronianam hiſtoriam quaſi cœleſtem facem ſuſpicio: atque oblatam nobis lucem cupidiſsimè intueor: interdum etiam Authorem ipſum in arcanis Pontificum & Conciliorum actis conſulo perſtudioſè. Hæc vir clariſsimus pro ſua ingenuitate & probitate. Quæ ideo minimè reticenda eſſe duxi, vt intelligas quantopere Baronius hac etiam in re à doctiſsimis ac laudatiſsimis viris laudetur.

Nunc porrò expectes fortaſſe, vt quoniam hactenus, ſi non pro dignitate, pro mea ſaltem tenuitate, expoſui quàm egre- Quartum, in quo demonſtratur martyrum

tractationem exquisitè admodum atque omnibus numeris absoluisse.

egregiè Author è Christianæ Reip. vtilitate ac dignitate, Ecclesiæ siue initia ac veluti incunabula, siue incrementa, complexus sit, ac pro sacrosanctis illius decretis, ritibus, authoritate denique ac maiestate, perduellium temeritati obstiterit, iam eiusdem authoris vestigijs insistens ad res aggrediar quas & fortissimi Christi athletæ strenuè constanterque gesserunt, & sanctissimi Ecclesiæ Antistites ac Proceres pari pietate ac sapientia docuerunt. Et rectè quidem. Nam præterquam quod sunt hæc diuinæ virtutis monumenta sempiterna, atque immensam Christi erga nos benignitatem mirificè declarant, hinc sanè longè clarius pulcherrimam Ecclesiæ faciem intueri, hostium impudentiam improbitatemque agnoscere, Baronij denique solertiam ac sedulitatem spectare, nobis liceret. Verùm quis tantarum rerum molem ac varietatem non reformidet? quis non grauissimum onus refugiat cui statim succumbendum esse intelligat? Ego sanè, Pinelle humanissime, nunc maximè ad lenitatem tuam confugio: tuam nunc benignitatem appello: & qui hac in parte vehementer æstuo, ad tuæ indulgentiæ (hanc enim mihi liberaliter obtulisti) portum confugio. Etenim si eniti velim vt quam Baronius in martyrum causa Ecclesiæ nauauit operam, hanc nostra referat disputatio, cum nulla propè Annalium pars erit quam liceat intactam prætermittere, (id quod immensi penè operis esset ac laboris) tum verò ea omnia quibus Romanum Martyrologium admirabili quodam studio illustrauit, huc erunt reuocanda. sunt enim inter se tanta affinitate coniuncta, ac tam bellè ad eandem planè martyrum historiam conflandam, omnibusque numeris absoluendam, conspirant, vt author, breuitati dum studet, ad Martyrologij notationes prouocare cogatur passim: & rem totam Lectoris diligentiæ ac fidei commendare. Erit itaque pietatis tuæ, Pinelle optime, ex gemino hoc veluti fonte suauissimam martyrum historiam haurire: atque incredibilem

inde Baronij diligentiam, summumque in Ecclesia iuuanda studium, animaduertere; Sed age dum obsecro, & ad purissimos vtriusque fontis latices (spirant enim adhuc coelestem illam martyrum charitatem) accedito, eorumque suauitatem degustato. Optas fortasse instructas martyrum acies pro temporum serie & per singulas Imperatorum ætates intueri? intueberis. cupis eosdem pro varijs orbis terræ partibus prouincijsque distinctos inspicere? inspicies. amas illos aduersus Prætores imperatoresque ipsos Christi causam alacriter tuentes audire? audies. cognoscere illos expetis quibus truces immanesque feræ ac bestiæ vel prouocatæ pepercerint, interdumque etiam præsidio fuerint? cognosces. spectare illos desideras qui machinas, carnifices, tyrannos, Dæmones propè ipsos incredibili constantia fatigarunt? spectabis. quæris equuleos, vngues, cæteraque tormentorum genera, aut etiam carceres, catabula, theatra, caueas, metallaque perdiscere vbi nobis Christianæ patientiæ vestigia, ac pulcherrima ad imitandum exempla, reliquerunt? perdisces. aues animaduertere qua charitate, quibus obsequijs & studijs, prisci illi fideles Christi Athletas spirantes adhuc prosequerentur & fouerent, aut quantopere ij vicissim in amore omnibus responderent, Pastoribus obtemperarent, præcipuè verò è Summi Pontificis nutu penderent? animaduertes. Sed illud fortasse percipere studes vel maximè, nimirum quanto semper studio Catholica Ecclesia martyrum acta conquisierit, dicta obseruauerit, nomina descripserit, virtutes celebrarit, cineres ac reliquias custodierit, & ab infidelium hæreticorumque incursionibus insidijsque defenderit: at hæc etiam percipere tibi licebit luculenter: cernes enim eorum dicta & facta à notarijs excipi, ab Ecclesia publicis tabulis consignari, fidelibusque castè & sanctè recitari, à Diaconis, Episcopis, summisque Pontificibus religiosissimè conseruari, consueuisse. Quod si ad extremum postules vt explicet Ba-

ronius

ronius, quæ sint iustæ ac germanæ martyrij causæ, quando fidem siue confiteri, siue etiam profiteri oporteat, quando tyrannorum furorem liceat declinare, vexationem pretio redimere, qui martyres ab Ecclesia censeantur, quiue explodantur, hæc verò explicabit omnia. Nam eorundem natales, anniuersaria, pompas, celebritates, ac sexcenta huiusmodi alia quibus Ecclesia fortissimis Athletis perpetuò gratulatur, nihil attinet commemorare. Ista, ista inquam, ex gemino illo Baronij fonte vberrimè hauries, atque (vt spero) incredibili cum animi voluptate, fructu etiam generoso pectore digno, degustabis. Habent enim martyrum recordationes, fidei, pietatis, fortitudinis, charitatis, multarum denique magnarumque virtutum incitamenta: quibus, cum in eas intuemur, non possumus non magnopere commoueri, interdumque etiam magnam vim lacrymarum profundere. Sed quid multis opus est? hic agnoscimus quàm procul distamus ab eorum patientia & integritate: quàm absumus ab illorum meritis ac laude: hinc ad rerum humanarum dispicientiam martyrumque ipsorum imitationem excitamur, incendimur, inflammamur.

Quintum in quo exponitur quàm excellenter præcipua reliquorum Sanctorum Patrū dicta & facta complexus sit.

Neque verò interim egregij illi Antistites ac Patres non tibi occurrent, qui pro Christi Ecclesia tantopere laborarunt: immo verò animaduertes quo quique tempore sese fidelium castris commilitones adiunxerint: vbi terrarum ac gentium suam operam ac studium ad Catholicos iuuandos retulerint: senties qua pietate & charitate commissum sibi gregem complexi sint: quo animi ardore & contentione illum à luporum insidijs rabieque defenderint: intelliges quibus vigilijs & lucubrationibus siue dilucidarint & illustrarint Dei verbum, siue hostium represserint temeritatem: denique intueberis in illis, nec sine magno pietatis quæstu intueberis, precandi studium, ieiunia, lacrymas, corporis afflictationes, peregrinationes, perpessas iniurias, & (vt semel dicam) quibus armis & exercitationibus sensuum

Mun-

Mundique illecebras, ſed inprimis Dæmonis inſidias, peruicerint & ſuperarint. Ex quorum congreſſu delectationem eo etiam capies maiorem; quòd ſenties pleróſque martyrij quoque cupiditate flagraſſe: ita vt illis carnifex defuerit quidem: martyrij verò cupiditas atque voluntas nullo modo. At enim Marcellinus (quanquam hunc libentiùs fortaſſe inter martyres referas) Liberius, Oſius, Dyoniſius, Vincentius, qui omnes Catholicæ Eccleſiæ columnæ habebantur, alijque eiuſmodi multi occurrent, qui aliquando Chriſtianæ Reipub. iniurij Luctuoſique fuerunt. Occurrent, fateor: ſed tandem illuſtri eorundem pœnitentia, noſtra ſubleuabitur imbecillitas: vt quantum infracta martyrum conſtantia ad virtutem incendimur, tantum iſtorum pœnitentia ac melioris vitæ exemplis à vitijs reuocemur. Sint iſta. Verùm quid quod Origenes etiam, Fortunatiani, Luciferi, alijque permulti occurrent, qui cum diu multumque pro Catholica Eccleſia laboraſſent, nonnulli etiam ad ſanguinem vſque hoſtibus reſtitiſſent, tandem grauiter lapſi nullis pœnitentiæ indicijs deceſſerunt? Quid quòd Tatiani quoque, Tertulliani, Euſebij, alijque ſexcenti in conſpectum ſe dabunt, qui tandem à fide non exciderunt ſolùm, verùm etiam ad extremum vſque ſpiritum vocem, ſtylum, facta denique cogitataque omnia aduerſus Catholicos conuerterunt? Ergo dum illorum ſuſpecta nobis ac dubia, horum deſperata prorſus ac deplorata eſt ſalus, nos ex luctuoſo illorum lapſu atque ruinis ſalutarem timorem concipiamus. Quotus enim quiſque eſt qui non intimis ſenſibus commoueatur & contremiſcat, vbi in Baronium inciderit lugubre Calaritani Luciferi elogium ex Hieronymo fermè proſequentem? Luxerunt (inquit) fideles & pij acerbiſſimum tanti viri caſum, cum viderent hominem honeſtiſſimis magna gloria pro Eccleſia Catholica perfunctum legationibus, tot confeſſionibus inſigniter nobilitatum, quot apices in Conſtantium ſcripſerat pro Athanaſio

& fi-

& fide Catholica; totque martyria propemodum exantlatum; quot annis exul in diuersa loca fuerat deportatus; hominem coryphæum & antesignanum Catholicorum in tam diuturno & difficillimo prælio Arianorum, positum instar Hieremiæ in columnam ferream & murum æreum pro domo Dei, Ecclesia Christi: hunc ipsum, inquam (proh dolor!) post tot victorias & erecta de perfidia debellata trophæa, sub ipso triumpho tam infeliciter à dissensionum auctore diabolo superatum, & separatum ab Ecclesia esse, ac planè prostratum? Quem tunc optimis quibusque timorem casus incussit? vt illud Zachariæ meritò vsurparent. Vlula abies, quia cecidit cedrus: Atque vtinam ipse Lucifer, qui Zelo æstruabat Heliæ, & Heliæ dictum audisset: Non in spiritu vehementi Dominus, non in commotione Dominus, nec in igne Dominus, sed in sibilo auræ tenuis: nempe in mansuetudine, benignitate, & misericordia verè inerat Dominus. Hæc Baronius. Quæ cum ita sint, quis hæc dum audit, non pertimescat, ac salutem cum timore ac tremore sibi operandam esse non statuat? Sed quoniam peruelim Pinelle optime, vt hæc atque alia huiusmodi multa, quoniam sunt plenissima vtilitatis & iucunditatis, ex Baronio ipso perdiscas, non ego te ijs detinebo: sed orabo potiùs & obtestabor, vt (quod iandiu tua sponte facere cœpisti) in pulcherrimum hoc Annalium theatrum excellentem illam ingenij tui aciem mentemque defigas: futurum enim spero vt tum mihi de Baronio facilè assentias, tibique ipse mirificè gaudeas, tum multò maximè Sacrosancto Cardinalium Collegio clarissimum lumen, Pontifici Max. eximium fidei propugnaculum, fidelibus omnibus Ecclesiasticæ antiquitatis ac veritatis præconem, ac dignum immortalitate Præsulem, gratuleris.

Additur iam ac demonstratur Christianum Theologum ad

Nunc ad cætera. Cum enim affirmauerim ac demonstrandum receperim, Baronij historiam non modò ad hæreticos profligandos, Ecclesiæque dignitatem retinendam, magnope-

magnopere pertinere (id quod hactenus pro virili parte me docui) verùm etiam Christianum Theologum multis magnisque præsidijs instruere, atque adeò ex angustijs & egestate ad summam rerum amplitudinem vbertatemque traducere, æquum sanè est vt hac quoque in re liberem fidem meam. Quod vt faciam, lubet hinc exordiri. Melchioris Cani liber, in quo Theologici explicantur loci, in promptu est omnibus: commendauit enim illum posteritati tum elegantia & stylus, qui longè splendidior est quàm in Theologo magnopere cerni soleat, tum verò eruditio atque doctrina qua perfectum Theologum describit ac fingit. Porrò hunc ego Cani Theologum minùs parabilem iudicaueram aliquando; atque adeò cum perfecto illo M. Tullij Oratore conferebam, quòd animo quidem fingi posse videretur, re ipsa cerni, nullo modo. Nec sanè (vt mihi quidem persuadebam) leuibus rationibus in hanc sententiam adducebar. etenim cauebat primò vir doctissimus, ne quis antea penetrales Theologorum focos attingeret, quàm in Philosophorum puluere plurimùm desudasset, tum verò eundem in Scholasticæ Theologiæ palæstram detrudebat, vt ibi subtilissimis illis laboriosisque disceptationibus diu multumque exerceretur: simulque ad diuinarum literarum & sanctorum Patrum volumina sedulò euoluenda impellebat, Ad hæc iubebat in Cæsareo iure non sanè hospitem ac peregrinum esse: Pontificij verò apprimè studiosum & gnarum: quasi illud Philosophiæ, hoc Scholasticæ Theologiæ, ex altera parte respondeat. Postremò (vt ingentem atque multiplicem Theologi supellectilem concludam paucis) præcipiebat vt priscis Apostolorum præceptionibus quæ ad nos tanquam viuæ vocis oraculo traditæ sunt & consignatæ, Sacrosanctis Conciliorum actis atque decretis, historijs item cum profanis tum verò sacris, operam daret: Quin etiam, ne qua in re tyro esset ac rudis, statuebat vt Latinis literis Hebraicas quoque & Græcas adiungeret,

magnam rerum omnium vbertatem traductum esse: & prima hæc disputationis pars clauditur tota.

Quamuis enim totam hanc Græcæ Hebraicæque linguæ cognitionem exagitare visus esset, vel certè non ijs assentiri qui obscuris in locis ad Hebræos Græcosue codices prouocarent, ad extremum tamen multas ac magnas istarum linguarum vtilitates prosequitur; decernitque vt suus Theologus strenuè illis operam nauet ac diligenter. Hæc inquam omnia in Theologo requirit Canus; atque ex his quasi fontibus argumenta ducere posse iubet qui Theologi partes sustineat. Quæ sanè cum mecum ipse reputarem, vix ac ne vix quidem adduci poteram vt crederem, posse hæc omnia ab homine comparari, præsertim verò quia cum in eos animum diligenter intenderem qui Theologorum Coryphæi hactenus haberentur, neminem his instructum omnibus deprehenderem, sed potius animaduerterem ab hac laude abesse omnes. Ita demum cum mihi quidem talis tantusque Theologus optandus magis quàm sperandus videretur, interdum non sine mœrore aliquo Theologica studia prosequebar. Sed ecce tibi, cum Baronium lectitare cœpissem, sententiam facilè deposui, & cum meliore (vt spero) commutaui. Intelligebam enim Theologum Baronij lectione Ecclesiasticis historijs ad miraculum excoli posse: ad profanas etiam si non vberiùs, mediocriter certè, & ad rerum diuinarum studia opportunè admodum informari. Ad hæc Apostolicis traditionibus, Ecclesiæque ritibus & institutis, adde etiam Conciliorum decretis, excellenter imbui: denique ad diuinarum literarum sanctorumque Patrum ac totius Pontificij iuris intelligentiam non vulgariter induari, cum ex ijs pro re nata explicet multa: in reliquis regiam nobis viam ostendat & patefaciat. Quid igitur prohibeat solers ingenium & nauum (neque enim homines ad Theologiam facti sunt omnes, sed solertissimi quique & strenui) linguarum Philosophiæque cognitione, florente ætate, (id enim multis vsu venire cernimus) comparata, tum Scholastico Theologorum puluere accurato quinquennij labore

protrito,

protrito, ad reliqua propè omnia Baronio Duce aggredi: atque ita demum omnes Christianæ sapientiæ partes (de Cæsareo namque iure Cano haud assentior: nisi tamen illius initia Theologo explorata esse velit, vt ad ius Pontificium faciliorem sibi aditum patefaciat) perdiscere & comparare? id quod eò minorem habet difficultatem, quòd istarum studia doctrinarum, vt mutuò se iuuant, & pleraque vno eodemque tempore in eandem contemplationem cadunt; optimè iungi possunt, atque altius semper in animo consignari. Hæc itaque sunt, mea quidem sententia, quibus Theologiam ditauit ornauitque Baronius, atque è summis angustijs & egestate, ad magnam rerum omnium copiam vbertatemque traduxit. Neque enim magnopere est in præsentia cur quisquam ingentem historiarum scriptionumque, siue sacras spectes, siue profanas, molem varietatemque reformidet: aut etiam, quoniam pleræque vix ac ne vix quidem nisi Romæ & à viris Baronio similibus consuli poterant & peruolutari, in medijs quasi spatijs concidat animo. hæc enim omnia, licet disiecta interdum & lacera, aut etiam dissidentia & ambigua, summo labore conquisita, parique studio perlecta & examinata, in vnum veluti corpus nobis Baronius redegit, & in oculis conspectuque omnium posuit. Vt proinde qui Baronium perlegat, huic numerosi authores illi obuiam suo quique loco pulcherrimoque ordine procedant omnes: verissimeque dici possit, quos ille hactenus diurnis & nocturnis quadraginta fermè annorum vigilijs atque laboribus collegit fructus, hos non hæbetem & indiligentem illius lectorem biennij studio in suum vsum conuertere posse: ac magna cum animi voluptate, honesta etiam laude, incredibilique pietatis quæstu conuertere. Id quod ij sigillatim fateantur necesse est, qui quas habemus cum hæreticis controuersias, libenter legunt, seque aduersus illorum fallacias instruunt. Dum enim tot tantarumque rerum texit historiam, & Romani Pontificis

aliorumque omnium quæ iam sæpè recensui, tuetur authoritatem, & (vno verbo) pro Catholica veritate pugnat, quid obsecro intactum relinquit quod vel ad domesticos fidei protegendos, vel ad perduelles expugnandos, pertinere videatur? Ego sanè fateor multos in hoc scribendi genere subtiliter multa & accuratè scripsisse, ac strenuè cum hostibus decertasse: sat quoque scio non defuisse tandem qui controuersias vel omnes vel certè plurimas in vnum quasi corpus redegerit, atque ita redegerit, vt breui tempore, nec magno labore, liceat illas perdiscere. Verùm illi, quoniam alius aliud sibi argumentum explicandum suscepit, non æquis momentis ac viribus, interdum etiam (vt sunt varia hominum ingenia) diffidentibus rationibus, rem peregerunt: ita vt lucubrationes singulas probare quidem possis, in omnibus verò illas coniungere, atque aptè congruenterque progredi, minimè interdum possis. hic verò, siue quòd nostrorum temporum hæreticos sibi oppugnandos proposuisset, ac lectis[illegible] Germanorum Anglorumque iuuentutem aduersus domesticos fidei hostes instruendos suscepisset, siue quòd non tam expedire arbitraretur obsoletas iam hæreses in medium afferre atque ignem benè sopitum excitare, quàm serpentes comprimere, ardentesque faces extinguere, siue quòd in recentioribus hæresibus veteres maxima ex parte delitescere, atque vno eodemque telo cum recentes tum priscas prosterni posse iudicaret, vniuersam ferè disputationem (id quod ipse met non fatetur solùm sed profitetur) in nostrorum temporum hæreticos conuertit. Ita Caluinos statim, Lutheros, Seruetos, Brentios, Illyricos, Melanchthones, Kemnitios, Zuinglios, Bezas, Centuriatores denique & huius farinæ hæreticos lacessens, in priuatis horum erroribus recensendis, fraudibusque detegendis & propulsandis, ferè est totus. At verò Baronius partim ostendit quo quæque hæresis tempore serpere ac manare cœperit, idque ab ipso Simone Mago

(hic etenim quemadmodum Simoniacis ita hæreticis ſe ducem præbuit & anteſignanum) ducto initio: ſimulque aperit quibus ſiue inuidiæ, ſiue contentionis, ſiue pertinaciæ facibus incenſi & abrepti miſeri illi, Catholicam veritatem deſeruerint: partim docet quantopere è veſtigio fideles deteſtati ſint illas, atque Eccleſia vniuerſa publicis execrationibus eas damnauerit: partim in eorundem hæreticorum dogmata ſtylum conuertit, & ad fibras radiceſque ipſas ſecurim conijcit. Vbi ſanè ſacrarum literarum momentis, rationum pondere, Patrum ſuffragijs, hiſtoricorum teſtificationibus, rerum geſtarum exemplis, ac venerandis totius antiquitatis monumentis, ſic vrget hoſtes, ſæpe etiam illorum met telis & machinis de gradu illos ſic deijcit, vel potius obruit, ſic etiam orationis moderatione, ac benè de illis merendi propenſione (mirum eſt enim quantopere hæc eluceat in Baroniana hiſtoria) eos allicit, vt laudatiſsimos quoſque Controuerſiarum ſcriptores facilè æquarit, in multis etiam longiſsimè ſuperarit. Vt minimè mirum videri debeat Germanorum Polonorumque ſtudia excitaſſe: Gallos, Anglos, Tranſalpinos iam propè omnes in ſui admirationem rapuiſſe: denique externorum opera peregrinis linguis loquentem audiri, vt extere nationes ac gentes vernaculo etiam ſermone, ac tanquam à ſuo quæque Ciue, de Eccleſiaſtica antiquitate & veritate doceantur.

Sed iam orationem meam longiùs progreſſam video quàm inſtitueram: compeſcam itaque illam, ac, tanquam frenis iniectis, cohibebo: niſi tamen tu, vir clariſſime, id mihi prohibueris quòd nihil ferè aut de perſonæ authoritate dixerim à qua conſcripta eſt auguſtiſſima hæc hiſtoria: nihil de loci ſanctitate & maieſtate in quo eſt exorta: pauca etiam de temporum in quæ incidit, opportunitate: cum tamen iandiu monuiſſem hæc omnia ad hanc hiſtoriam plurimùm pertinere, atque in Eccleſiæ commodum redundare.

II. III. & IV. Pars: in quibus rurſum Eccleſiaſtici Annales tum ex authoris perſona, tum ex loco in quo conſcribuntur, tum ex tẽpore in quod incidunt, breuiter æſtimantur.

dare. Et sanè isthæc omnia à me fuisse prætermissa, & fateor & doleo. Quin video me inde etiam huius historiæ splendorem ac dignitatem ostendendam proposuisse, quòd exquisita planè ratione conscripta sit: & cum veritate quæ historiæ caput est ac vertex, perspicuitatem, cum perspicuitate diligentiam, pietatem, cætera denique omnia quæ in Ecclesiastica historia desiderantur, egregiè planè coniunxerit. Sed longum esset ad omnia ornatissime Pinelle: nec tu à viro occupatissimo id postulas in præsenti quod longioris scriptionis ac temporis esset, vel (vt veriùs dicam) iustum volumen desideraret. Quanquam ne silentio penitus inuoluisse videar quæ admirabili vbertate & copia tractari possent; ad ea sanè lubet digitum saltem intendere. ita enim fore spero vt si non ieiunitatis & siccitatis, indecoræ certè ac subrusticæ taciturnitatis, crimen deuitet oratio. Ergo qui animaduertere velit quantum momenti ac ponderis ex Authoris persona accesserit ad hanc historiam, secum ipse reputet, sub quo magistro pietatis tyrocinia posuerit Baronius; quem vitæ moderatorem habuerit: in qua se exercuerit palæstra; æstimet quibus exinde studijs, qua charitate, ad se pietatis causa confluentes amplecteretur, ijsdemque salutis iter ostenderet, & quantum denique studia doctrinarum cum pietate coniunxerit, vel potiùs ad Dei gloriam animorumque salutem semper retulerit. Hinc enim facilè intelliget Baronium à Deo, tanquam ad aram Aaron & ad sceptrum Mosem, ad Ecclesiasticam historiam scribendam vocatum esse. Sed & quantam eidem historiæ authoritatem addat sanctitas atque maiestas vrbis in qua veluti concepta, nata, educata, denique ad maturam ætatem perducta est, vel ex eo intelligi potest, quòd plura illi vna suppeditauit Vrbs, quàm reliquæ subministrarint omnes. Vt (si me audias) id quod Romæ per Baronium consecuti sumus, aliunde sine temeritate non modò non sperari & expectari, sed ne optari quidem posset. Verissimè namque

que affirmari poteſt, perenne ac proprium eſſe huius Vrbis ſanctiſſimæ, vt thermæ, arcus, theatra, templa, cryptæ, ſepulcra, loca denique omnia, quin lapides ſolùmque ipſum, ad Eccleſiaſticam hiſtoriam clariſſima offerrent monumenta; & vel tacentia, ad nobiliſſimos Annales conſcribendos inuitarent, allicerent, prouocarent. Nam de doctiſsimorum hominum multitudine ac varietate qui in hac Vrbe florent, aut etiam ad eandem confluunt vndique, deque peruetuſtis atque infinita propè librorum copia inſtructis bibliothecis quid attinet dicere, cum vel hoc vno Vrbs hæc, Theatrum orbis terræ, antiquitatis monumentum, arx omnium gentium iurè ac merito appelletur?

Iam verò quàm opportunè atque adeò fœliciter in hæc tempora ceciderit hæc hiſtoria, cum ex ijs percipi poteſt quæ iam antea de Eccleſiæ ſtatu atque hæreticorum impoſturis diſputata ſunt, tum verò ex his quæ ſubijciam, facilè intelligetur. Etenim cum Author multum operis ac laboris ad Romanum martyrologium, hoc eſt ad præcipua ſanctiſſimorum Eccleſiæ militum acta illuſtranda, contuliſſet, ac luculentis ea notationibus illuſtraſſet, quid aliud effecerat obſecro, quàm quòd fidelium pectora ad vberiorem Chriſtianæ Reip. cognitionem præparauerat, atque ad ſalutarem hanc hiſtoriam non modò excipiendam, ſed cupidiſſimè perlegendam excitauerat? Ergò id planè reliquum erat, vt martyrologio peruulgato, optatiſsima hæc hiſtoria prodiret in lucem, atque vberrimos lætiſsimóſque Eccleſiæ fructus afferret. Huc accedit quòd conſcelerati Diaboli ſatellites diuina oracula, Patrum lucubrationes, Eccleſiaſticaſque hiſtorias ac monumenta impenſiſſimè peruolutarant: profana quoque non indiligenter perluſtrauerant, & cum ſacris coniunxerant: omnem denique lapidem mouerant, omnem literarum angulum conquiſierant. Sed quorſum? nimirum vt ea, ſuperiorum hæreticorum exemplo, immo verò maiore peruicacia & improbitate, ad ſua impura dogmata

mata detorquerent: vt fideles per speciem pietatis mendacijs faciliùs onerarent: vt pulcherrimam Catholicæ Ecclesiæ faciem, si quo modo possent, deformarent. Quid igitur opportunius contingere poterat fidelibus hoc tempore, quàm eam hostibus historiam opponi, quæ sacras antiquitates fideliter complecteretur, atque illis sanctè religioseque insistens, Romanæ Ecclesiæ integritatem Catholicæque fidei candorem ostenderet? Ita demum omnino in tempore fuit Ecclesiastica Baronij historia, in qua cum superiorum seculorum fraudes, tum maximè nefaria Magdeburgensium atque huius ordinis hæreticorum mendacia ac tenebræ, Catholicæ veritatis luce disijcerentur: quin vt huius virtus magis ac magis appareret, simulque pij omnes intelligerent, quantopere lux tenebras, veritas mendacia, Christus Diabolum, superaret; vnus, vnus inquam, centurias integras atque adeò hostium decemmillia profligaret. Hæc inquam (vt summatim & quambreuissimè illa indicem) secum ipsi reputent ac per ocium diligenter expendant, qui personæ authoritatem (vt par est) ac dignitatem, maiestatem quoque loci, & multam hanc temporis opportunitatem, pertinere fatentur ad hanc historiam.

Postrema pars in qua ex scriptionis ratione strictim omnino dijudicatur: vel certè capita indicantur vnde vberiùs dijudicari possint.

Porrò autem scriptionis modus & ratio, de qua mihi postremo loco dicendum esset, tam latè patet, vix vt exitum vllum sperare liceat. Agnoscendum enim esset primùm quàm solida siue rerum, siue temporum, veritate hæc contineatur historia. Siquidem nemo est qui nesciat eam maximè expeti: cæteraque omnia fore superuacanea, vbi historici fides requiratur, aut veritas suspecta sit. Deinde videndum esset qua perspicuitate & quo ordine dispositæ res sint & collocatæ: quotus enim quisque est, qui non intelligat, vix prodesse quicquam occultam rerum ac temporum veritatem introspexisse (in occulto nanque latere solet veritas:) nisi ordo ex inordinato, perspicuitas è tenebris, illam eximat? Sed & obseruandum esset quàm apposité referatur

tur atque omnibus absoluta partibus proferatur. vt enim inania & ociosa vitanda sunt, ita, quantum iniuria temporum patiatur, nihil est prætermittendum quod ad integram rerum gestarum notitiam pertinere videatur. Ad extremum, quoniam non de stillicidijs aut fundis agitur, sed de sacris antiquitatibus & monumentis, deque diuinis doctrinis & institutis ac totius Christianæ rei summa, animaduertendum esset qua siue pietate, siue prudentia, siue eruditione & rerum omnium cognitione, res pertexat & prosequatur. Hæc inquam omnia tractanda essent & decernenda: quorum tamen disceptatio & dijudicatio tum benè longam ac variam disputationem requireret, tum (vt ingenuè fatear) meas vires quamlongissimè superaret. Quamobrem dabis mihi hanc veniam Vincenti optimè, vt inter has angustias pictores mihi liceat imitari. Ij enim, cum sibi instructissimus exercitus in tabula sit effingendus, primam aciem quanta possunt maxima referunt cura, & strenuissimorum equitum peditumque absolutissimas effigies obijciunt intuentibus: tum mediam postremamque sic exprimunt & imitantur, vt in illa caput tantùm aut galeas attollant alíqui: in hac vix confertissimæ hastarum acies militaribus distinctæ insignibus appareant. Hos itaque in præsentia imitabor ipse: cum etenim pro mea mediocritate exposuerim quæ primo loco de Baroniana historia dicenda ac veluti in prima acie collocanda fuerant: aliqua etiam ex parte prosecutus sim quæ medium sibi locum deposcerent; postrema equidem per capita leuiter attigisse, ac tanquam summis apicibus indicasse, contentus sum. Denique cum in postrema hac disputationis parte maior sese obijciat rerum varietas ac moles quàm vt mihi ad eas digerendas tractandasque aut detur ocium, aut facultas suppetat & copia, malim equidem tanquam iners histrio postremum actum taciturnitate transigere, quàm quod hoc tempore præstare nequeam, impudenter aggredi. Id quod eò etiam libentius

faciam, quòd in ipso Ecclesiasticorum Annalium cursu veritas acutè cernentibus sua se luce declarabit: ordo etiam, (vt spero) perspicuitas, cætera demum omnia quæ ad extremum percensebam, æquis rerum æstimatoribus non poterunt non probari. Illud tamen hac ego in re minimè prætеribo quod mihi quidem ad exitum properanti, ac veluti colophonem iudicio huic nostro, quale quale tandem illud sit, imponere cupienti, non inopportunum videri solet.

Ergo cum multa sæpè occurrebant mihi in huius tractatione historiæ quæ probarem, tum verò illud quod nunquam satis demirari ac suspicere, nullis vnquam laudibus sat celebrare valeo. At quid hoc tandem? Illud, illud inquam, quod (vt spero) tibi Pinelle ornatissime probabitur vehementer. Existimaueram ipse aliquando, & nisi vehementer fallor, iure optimo existimaueram, Authorem satis superque facturum fuisse munerisuo, si tum vtriusque fœderis volumina, tum Patrum atque aliorum quos sæpè recensuimus, scripta diligenter euoluisset, ac pro re nata ad Ecclesiasticos Annales texendos, acri interim iudicio adhibito, appositè retulisset. Verùm dum pergo legere, video illum obscœnissimorum carmina poëtarum, detestandas Deorum vel potiùs Dæmonum imagines, superstitiosa oraculorum responsa, idolomaniasque teterrimas, perditissimorum tyrannorum icones, lapides & monumenta Dis manibus, siue (vt veriùs dicam) inferis monstris, dicata, historicos denique contaminatissimos atque acerrimos Christianæ fidei hostes, proferre. Ex quibus tamen, dum rem attentiùs adhuc considero, tam aptè multa & scitè elicit ac delibat ad Ecclesiasticæ historiæ vsum atque ad Christianorum mysteriorum veritatem illustrandam, vt ad eorum lectionem incredibili admiratione perculsus, tantùm non obstupuerim. Et quidem, vt legeram aliquando nullum extare librum vsque adeò malum ex quo boni aliquid colligere haud liceat, putassem quidem Ouidios, Catullos,

tullos, Martiales, etsi plenissimos turpitudinis, (idem fermè de reliquis dixerim quæ recensebam) posse interdum prodesse ingenio, addo etiam aliquod commodum afferre vitæ: at ad sacrosancta Religionis mysteria intelligenda aditum patefacere aliquando posse, ne iuranti quidem vnquam credidissem: & tamen hoc ipsum Baronij industria perfectum, ac magna etiam cum illius laude & fidelium bono perfectum, video. Quæ cum ita sint, vel hinc licebit coniectare, immo verò tanquam ex perspicua veritatis nota perdiscere, quàm excellenti eruditione ac rerum omnium studio & cognitione, Baroniana contineatur historia.

Hæc habui quæ inter assiduas occupationes succisiuis quibusdam horis de Ecclesiasticis Baronij Cardinalis Annalibus generatim ad te perscriberem. Aliàs fortasse si dabitur ocium, noua disputatione per secula fermè singula distinctè ac sigillatim persequar alia multa. Neque enim is sum ego, qui in tanta rerum varietate ac mole (id quod humanis in rebus euenire passim solet) non aliquando hæream ac dubitem: sæpè etiam interfui doctissimorum virorum sermonibus: qui in quibusdam (vt fit) nonnihil dissentirent: memini insuper me varia legisse apud authores grauissimos, qui non raró, nec contemnendis rationibus, in contrariam sententiam nos reuocare videantur: nec desunt multi qui, quasi stylus parùm pressus vel etiam nimis redundans sit, Atticam in eo siccitatem requirant: denique sunt non pauci qui non à legendo deterrentur solùm, verùm etiam magnopere verentur, ne quod Trogo, Liuio etiam fortasse, Dioni, alijsque nobilissimis historicis quibusdam accidit compendiorum iniuria, id & Baronio eueniat decursu temporis. Cum enim Iustini, Flori, aliorumque epitomis editis, Trogi fermè integri, Liuij maxima ex parte, aliorum multorum funditus, iactura facta sit, quid quæso de Baronio pertimiscendum non est, qui vnus iam iam plura Annalium monumentis consignauit, quàm Li-

Iam ita clauditur disputatio vt nonnulla etiam dubitentur quæ fortasse nouæ disputationi campum aperient.

vnius, Dio, totidemque huius ordinis authores mandarint historiæ? Sed his omnibus opportunè aliàs (vt spero) satisfaciam: idque Authore ipso (quod non licuit hactenus) consulto. Qui sanè, si breui vnius atque alterius insequentis seculi Annales vulgauerit, profectò (vt Regum facta, Imperij sese adiungent historiæ) nouum nobis campum aperiet, in quem nostra excurrat oratio.

Tu verò Baroni Cardinalis Religiosissime, si forte vnquam ad tuas manus peruenerit nostra hæc disputatio, sic habeto. Me quidem, dum ad tua hæc Annalium monumenta respicio, non posse industriam diligentiamque tuam non magnopere commendare, atque ingentes labores admirari quos in illis tot annos vel potiùs tot lustra fortiter pertulisti. Cum enim certam aliquam ac definitam artem seriò tractanti, grauissimi labores sint perferendi, ac desudandum algendumque sæpè; quid quæso tibi contigerit necesse est cui omnia penè doctrinarum bonarumque artium studia tam seriò ac tanta circunspectione attingenda fuerunt ac pertractanda? Quod si Antiqui summos ac propè immensos iudicabant eorum labores, qui non disco solùm & lucta, sed cursu etiam, cæstu & saltu valerent, ac digni tandem essent qui πένταθλοι dicerentur, quid tandem fatendum nobis de te erit, quem, vt muneri pro dignitate satisfieret, multiplici humanarum diuinarumque doctrinarum cognitione, vel aduersariorum testimonio, imbutum esse oportuit? Ego sanè, dum hæc mecum ipse attentiùs reputo, te non dicam πένταθλον nostrorum temporum, sed πάνταθλον appellandum esse iudicauerim. Sed tamen, dum ab huiusmodi laboribus atque vigilijs auocare animum nitor, ac mentem attollo altiùs, facile in eam sententiam venio, vt existimem hoc opus (quod ne tu quidem inficiaris) non tam laborantis esse & currentis, quàm miserentis Dei: nec tam illius qui plantat ác rigat industria, quàm eius qui incrementum dat, benignitate extitisse: denique (vt me semel

mel explicem) nihil planè esse cur in eo glorietur omnis cato. Cum enim operosissimæ huius molis fundamenta per te priùs iacta essent, quàm de illa construenda cogitares; immo verò iam parietes attollerentur, nec tu de ædificatione omnino deliberares, quis non diuini architecti consilium agnoscat ac sapientiam, qui per te propè inscium noua Ecclesiæ præsidia exædificare constituerat? Nec aliò sanè Amplissimorum quorundam Patrum, quorum authoritas permagna erat in Dei Ecclesia, quin ipsiusmet Summi Pontificis (nam Gregorio XIII. hortatore martyrum historiam aggressus, iecisti fundamenta Ecclesiasticorum Annalium) hortatus refero & suasiones; Non aliò grauissima illius incitamenta, cuius authoritati ac voluntati tantopere tribuebas, quemque tibi vitæ moderatorem ac ducem delegeras. quandoquidem in his omnibus eius mihi prouidentiam intueri videor atque consilium, qui, vt attingit fortiter suauiterque disponit omnia, per hos tanquam suæ voluntatis interpretes & administros, tuos conatus ac studia dirigebat. Quid multa? CLEMENTIS cuius tibi pietas & sapientia iandiu perspecta ac probata erat, accessit authoritas. Is enim siue tuorum Annalium pietate incensus, siue fidelium vtilitate permotus, siue Ecclesiæ dignitate excitatus, quantopere semper hoc opus vrgeret & flagitaret, superuacaneum est commemorare. Vt ego quidem, si rerum nostrarum euentus coniectura aliqua prospicere, vel certè de illis optimè sperare liceat, magnopere confidam & sperem, non antea CLEMENTEM à nobis demigraturum, quàm tu BARONI ILLVSTRISSIME, tuos, vel potiùs nostros atque adeò Ecclesiæ, Annales absolueris. Vt nimirum absolutis atque perfectis, CLEMENS illis vniuersis copiosè ac largiter benedicat: atque Ecclesiæ quam vnicè diligit, quemadmodum sacrosancta vtriusque fœderis monumenta miro candore illustrata, ita Ecclesiasticos Annales omnibus numeris absolu-

solutos, perpetuum sui amoris monumentum, firmissimum fidei propugnaculum; nouum denique Vrbis decus & ornamentum relinquat.

FINIS.



ROMAE,

Apud Impressores Camerales. M.D.XCVI.

FACTA A SVPERIORIBVS POTESTATE.

